

CAMPHORA.

151

vulgo *opium* dicti, impuri in frustula concisi, libram unam.

Alcoholis diluti libras duodecim.

Digere leni calore, subinde agitando, donec solvatur opium; dein per chartam cola, et leni igne in balneo aquæ destilla ad spissitudinem massæ pilularis, vel si placet ad siccitatem, ut in pulverem teri possit.

CAMPHORA ejusque PRÆPARATA.

CAMPHORA PURIFICATA.

℞. Camphoræ vulgo venalis impuræ quantum placet.

Alcoholis quantum opus,

Ut solvatur. Alcohol sic camphora saturatum cola, et liquori colato adde

Aquæ destillatæ quantum opus,

Ut camphora omnis præcipitetur; dein effunde liquorem, et camphoram leni igni expose ut siccet et in massam coëat. Si partibus colorantibus adhuc inquinatam iisdem

penitus liberam desideras, sublimationi expose.

VIRTUS : Sedativo-narcotica ; antispasmodica ; antiseptica.

USUS *internus* : Blechropyrae (Typhus et synochus) ; exanthemata atonica , retrocedentia ; cardialgia ; dysuria ; oestromania ; mania ; hysteria ; (cum sulphure) colica plumbea. — *Externus* : Arthrodynia ; ophthalmia ; gangraena ; morsura insectorum ; ulcus fungosum ; colica spasmodica. — Item ad paranda praeparata varia sequentia.

DOSIS : Grana tria-sex-decem , ad drachmam unam , bis terve de die cum saccharo aut vehiculo quocunque.

NB. Camphora videtur esse oleum volatile , principio carbonico absorpto , in formam solidam concretum.

OLEUM CAMPHORÆ VOLATILE.

SYN. *Oleum camphoræ destillatum ; oleum camphoræ liquidum et butyraceum artefactum.*

R. Camphoræ libram semis.

Argillæ siccae pulv. libras duas.

Optime permixta e retorta vitrea lenissimo igne destilla. Oleum cum phlegmate acidulo in excipulum transiens subtilissimum ab eodem separa; et cum portione olei butyracei in collo retortæ sublimati mixtum, usui serva.

Usus *externus eximius*: Arthrodynia aliive dolores rheumatici et arthritici; Punctura insectorum.

NB. Hoc oleum camphoræ, destillatione obtentum, distingui debet ab oleo volatili camphoræ nativo in India orientali obtento; utpote quod virtutem resolventem et sedativam in arthrodynis rheumaticis et arthriticis longe efficaciorē possidere dicitur.

OLEUM CAMPHORÆ NITRICATUM.

℞. Camphoræ uncias tres.

Acidi nitrici uncias sex.

Digere in vase probe obturato per octiduum; dein oleum supernatans caute separa.

Usus *externus* : Ulcus fungosum, carcinomatosum; paralysis; arthrodynia; myodyn timer.

OLEUM CAMPHORATUM.

℞. Camphoræ contusæ unciam unam.

Olei olivarum (vel amygdalarum) uncias quatuor.

Terendo solve.

Usus *externus* : Dolores rheumatici; phlogosis-erythema; morsura insectorum.

ACETUM CAMPHORATUM.

℞. Camphoræ unciam semis.

Acidi acetici uncias octo.

Misce ut fiat solutio.

Usus : Mania; œstromania; blechropyra petechialis.

Dosis : Uncia semis, his terve de die.

ALCOHOL CAMPHORATUM.

SYN. *Spiritus vini camphoratus.*

℞. Camphoræ unciam unam—duas.

Alcoholis libram unam.

Misce ut fiat solutio.

OLEA VOLATILIA. 155

Usus externus : Phlogosis-erythema ; morsura insectorum ; contusura ; subluxatio ; distorsio ; arthrodynia.

ÆTHER CAMPHORATUS.

Vide ÆTHER.

AQUA CAMPHORATA.

Vide SOLUTIONES.

OLEA ET OLEOSA.

I. OLEA VOLATILIA.

SYN. *Olea ætherea destillata aut expressa ; olea essentialia s. odorifera plantarum.*

G. *Huiles volatiles (Essences).*

Liquida inflammabilia, volatilia, odoris peculiaris plantæ, fortis penetrantis ; saporis acris, aromatici ; in alcohole præcipue, pro parte tamen etiam in aqua, solubilia, ut plurimum destillatione, quædam etiam expressione, ex plantis integris aut partibus plantarum peculiaribus parata.

A. *OLEA VOLATILIA* destillatione parata.

Plantæ aut partes earum eo anni tem-